

posteróque defendunt, ne potentiorum manus validior efficiat humiliores injuriis, premátque jacturis clypeo justitiæ non aditos. Tales utique clypeos aureo titulo mered præsignavit auctoritas, cum per aurum virtutum nobilitas, & per scutum fortitudo fidei designetur. Habet enim scientia incomparabiles thesauros deliciarú, omniumque bonorum gratiam largitur ad plenum.

§. 1. Nos itaque profectibus publicis ex debito pastoralis officii, cui dante Dómino præsidemus, efficacibus studiis intendentes, ingenti utique desiderio ducimur, & cura propensioris sollicitudinis excitamur, ut studia literarum, per quæ scientiarum thesaurus acquiritur, ac ad spiritualis & temporalis gaudii gloriam pervenitur, laudabilibus incrementis dirigantur ubilibet, ac propensius invalescant, & in illis potissimè locis & partibus, quæ idonea & accommodata fore noscuntur, ad multiplicanda doctrinæ semina, & gemina salutaria producenda.

§. 2. Cúm itaque Avenionen. Civitas ob ipsius commoditates & condiciones quamplurimas, habilis & apta non modicum hujusmodi studio censeatur.

§. 3. Nos pro utilitate publica credentes multipliciter expedire, ut in Civitate prædicta cultores sapientiæ inserantur, fructum uberem largiente Domino in tempore producturú, presentium auctoritate concedimus, ut in Civitate prædicta sit & habeatur de cætero Studium literarum generale, in quo Magistri doceant, & Scholares liberè studeant & audiant in quavis licita facultate. Ac si qui processu temporis in eodem Studio fuerint, qui scientiæ braviù allequati, docendi sibi licentiam, ut alios licenter erudire valeant, petierint exhiberi, Sancimus ut in Jure Canonico & Civili, ac in Medicina & liberalibus artibus examinari possint ibidem, & in facultatibus ipsis duntaxat Magisterii titulo decorari.

§. 4. Statuentes ut quoties ad id aliqui fuerint promovendi, presententur Episcopo Avenionenú pro tempore existenti. Qui magistris facultatis illius in qua examinatio fuerit faciendá, in eodem Studio presentibus convocatis, eos gratis, & difficultate sublata, qualiter de scientia, facundia, modo legendi, & aliis quæ in promovendis ad Doctoratus seu Magisterii officium requiruntur, examinare studeat diligenter, & illos quos idoneos repererit, per se hærete Magistrorum eorundem consilio, quod utique consilium in ipsorum consulentium dispendium vel jacturam revelari quomodolibet, sub divina maledictionis interminatione districte prohibemus, approbet & admittat, eisque petitam licentiam largiatur. Alios minus idoneos penitus repellendo, postpositis omnino gratia, odio vel timore. Cæterum ne vacante Sede Avenionen. contingat, volentes promoveri ad Magisterium impediri, volumus ut promovendi hujusmodi vacationis tempore, Præposito Avenionen. Ecclesiæ presententur, qui eos examinet, & examinatos approbet vel reprobet, secundum modum in Episcopo prætaxatum.

§. 5. Illi autem qui in Civitate prædicta examinati & approbati fuerint, ac docendi licentiam obtinuerint, ut est dictum, ex tunc absque examinatione vel approbatione alia legendi, & docendi ubique in facultate illa, in qua fuerint approbati, plenam & liberam habeant facultatem, nec a quoquam valeant prohiberi.

§. 6. Sane ut ritè in jam dictis examinationibus procedatur, præcipimus, ut Magistri legere in eodem Studio cupientes, antequam incipiant, præsentent publicè juramentum, quod ipsi vocati ad examinationes easdem personarum veniant, nisi fuerint legitimo impedimento detenti, & gratis, sine difficultate, odio & amore postpositis, dabunt examinatori fidele consilium, ut de examinatis digni approbati debeant, & indigni merito reprobari. Qui verò juramentum hujusmodi præstare noluerint, nec ad legendum, nec ad examinationes easdem, nec etiam ad aliqua Vniversitatis ipsius Studii commoda, vel beneficia ullatenus admittantur.

§. 7. Ut autem Doctores & Scholares prædicti, eo libentius valeant intendere studio, ac proficere in eodem, quo se munitos agnoverint gratia & favore, eis auctoritate prædicta concedimus, ut dum hujusmodi Studii docendo vel audiendo duxerint insistentium, omnibus

privilegiis, libertatibus & immunitatibus concessis Doctoribus & Scholaribus in studiis generalibus commorantibus gaudeant, & utantur.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam, sanctis &c. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum.

Dar. Anagninæ Kal. Julii, Pont. Nostri anno nono.

D. P. A. I. die 1. Julii.

BENEDICTUS X. DICTUS XI. PONT. CXCXVI ANNO DOMINI MCCCIII.



Benedictus X. dictus XI. Ordinis Prædicatorum, Magister Frater Nicolaus Bocasinus antea dictus, natus in vico S. Bartholomæi Tarvisii Venetiæ, Patre Bocasio, Episcopus Cardinalis Ostiensis, & Veliternus. Creatus Romæ 12. Kal. Novembris 1303. Coronatus die 6. Kalend. Novemb. eodem anno. Sedit menses 8. dies 6. Creavit Cardinales 3. Obiit Perusii Nonis Julii, anno 1304. Sepultus in templo S. Herculani ad Prædicatorum. Vacavit Sedes menses 10. dies 28.

Nova confirmatio Ordinis Fratrum Servorum B. Mariæ Virginis, sub Regula S. Augustini.

Eundem Ordinem gratis, & privilegiis donatus Clem. VI. Const. 2. Regimini, hic infr. & Urban. VI. Constit. 2. Sacrosancta, & Pius V. in const. 44. Romanus, infr. tom. 2. & Const. 103. Postquam, ac Clemens VIII. reformavit in Const. 119. Quoniam, infr. tom. 3.

Hunc Ordinem sicut in Eremo Senaria apud Civitatem Florentiæ ortum habuisse, ita ibidem restitutum fuisse anno 1593. videre est in const. 80. Clementis VIII. infra lib. 3. Decet, cum ibi ndr. Regulam autem Fratrum Tertii Ordinis, vide in const. 15. Martini V. Sedis, infra in hoc libro.

BENEDICTVS EPISCOPVS, Edita Ab. D. Servus Servorum Dei: Dilectis filiis Generali & Vni- versis Prioribus & Fratribus Servorum S. Mariæ, Ordinis S. Augustini, Salutem & Apostolicam benedictionem.

Um levamus in circuitu oculos nostros, & gregem Dominicum, nobis licet immeritis, divina dispositione commissum, undique juxta pastoralis officii debitum contemplamur, vigilem, quantum nobis ex alto permittitur, curam libenter impendimus, ut cultores vineæ Domini Dei Sabaoth, sic cultui salutis intendant, quod eadem vinea

ne iissa
in lo-
is in-
na lo-
Civitas
monen-
mura-
igitur
in e
Studii
sai.
amque
randi
ni.
rib, pri-
toms
ue legedi
ait.
tundem
mentum
ribus
Scholaris
privile-
studii
guerna-
conce.

palmites diffusos extendens, salutarium producat fructuum ubertatem. Et licet erga singulos cultores hujusmodi, personas videlicet Ecclesiasticas, Apostolica sollicitudo versetur, erga tamen viros Religiosos, qui contemplationi caelestium, mundanis relegatis illecebris, pia vitae studio, sine intermissione desudant, eo propensior nos decet diligentiam adhibere, quo ipsi pro Religionis favore sunt amplius Apostolicis praesidiis confuendi.

Quamvis hic Ordo à Sede Apostolica confirmatus fuerit.

§. 1. Sanè vos, qui Ordinem Sancti Augustini per Sedem Apostolicam approbatum profiteremini & servatis, & devotionis affectu, quem geritis ad B. MARTAM Virginem gloriosam, assumitis vobis vocabulum ab eodem, vos servos ejusdem Virginis humiliter nominando, dictamque Ordinem Sancti Augustini, juxta praecepta honestae institutionis vestrae, in honorem ipsius Virginis edicite laudabiliter servatis. Ac vobis per specialia privilegia dicta Sedes indulget, quod celebrare possitis Capitulum Generale, ac in eodem Capitulo Priorem vobis Generalem eligere, qui in Fratres vestri Ordinis correctionem & alia quae ad suum spectant officium liberè valeat exercere, quodque ad sepulturam possitis recipere illos, qui apud loca vestra elegerint sepeliri. Ex quibus clarè inspicentibus, satis innuitur dictam vestram Regulam per eandem Sedem existerè quodammodo confirmatam.

Hic tamen Pont. expressis cum confirmat.

§. 2. Nos autem qui ad Virginem ipsam Dominam nostram libenter devotionem quam possumus exhibemus, nolentes quod aliquis contra vos & regulam ipsam quicquam possit detractionis impingere, quin eadem Regula plenam habeat Apostolice munitionis firmitatem, ad omnem hesitationis materiam circa hanc quovis animis amovendam, vestris supplicationibus inclinati, Regulam & ejus institutiones praedictas expressè auctoritate Apostolica confirmamus, & etiam confirmamus, & praesentis scripti patrocinio communitur, quaeque vobis concedimus.

Eiusque Regulam perpetuo observari precipit. Sancto patris.

§. 3. Decernentes ipsam per vos fore perpetuis temporibus inviolabiliter observandam.

§. 4. Nulli ergo omnino hominum liceat, &c. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se noverit incursum.

D. P. An. 2. die 12. Feb.

Dat. Laterani 3. Idus Februarii, Pontificatus nostri anno 1.

Receptio Congregationis Monachorum Coelestinorum Ordinis S. Benedicti, sub Sedis Apostolicae protectione, cum nonnullarum gratiarum largitione.

Hujus congregationis statuta approbavit Coelestinus V. qui ante Pontificatum, eius institutor fuit, in sua consuetudine. 1. Etsi cunctos, supr. ubi alia, de hac Congregatione indicavit. Qui quidem Coelestinus inter sanctos postea relatus fuit à Clem. V. in sua consuetudine. 4. Qui scripsit, hic infr.

Elia An. D. 1304.

BENEDICTVS EPISCOPVS, Servus Servorum Dei: Dilectis filiis Bernardo Patri Abbatis Monasterii Sancti Spiritus de Sulmonè, Valven. Diocesis, eiusque Coabbatibus & Conventibus aliorum Monasteriorum, & Membrorum eidem Monasterio S. Spiritus subiectorum, Ordinis S. Benedicti, praesentibus & futuris in perpetuum.

Suscepit sub praesidio Sedis Apostolicae Monasteria S. Spiritus, & Membrorum eius.

Religiosam vitam eligentibus Apostolicum convenit adesse praesidium, ne forte cujuslibet temeritatis incursum, aut eos à proposito revocet, aut robur, quod ab sit, factae Religionis infringat. Cum itaque Regi Regum mentibus humilibus & devotis exhibeatis religiosè ac jugiter famularum, Nos ob vestrae Religionis zelum quem habere dicimini, & contemplatione felicitis recordationis Coelestini Papae Quinti praedecessoris nostri, praedicti Ordinis professoris ad vos, vestrumque Ordinem

sincerae gerentes charitatis affectu, in his quae ipsius Religionis augmentum & prosperum statum respiciunt, quantum cum Deo possumus, Nos favorabiles exhibemus. Ea propter dilecti in Domino filii vestris justis postulacionibus clementer annuimus, & Monasterium Sancti Spiritus, ac alia Monasteria, Prioratus, Ecclesias, Membra & loca eidem Monasterio Sancti Spiritus subiecta, quae per speciale Privilegium Sedis Apostolicae novimus ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinere, sub Beati Petri & nostra protectione suscipimus, & praesentis scripti Privilegio communitur.

§. 2. In primis siquidem statuente, ut Ordo monasticus, qui secundum Deum & Beati Benedicti Regulam in Monasteriis, Prioratibus & Membris & aliis locis praedictis institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur.

§. 3. Praeterea quascumque possessiones, quaecumque bona Monasterium S. Spiritus, & alia Monasteria, Prioratus & membra praedicta in praesentiarum rationabiliter possident, aut in futurum largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, praestante Domino, poterunt adipisci, firma vobis, vestrisque successoribus illibata permanent.

§. 4. In quibus haec propriis duximus exprimenda vocabulis, videlicet locum ipsum, in quo praefatum Monasterium S. Spiritus situm esse dignoscitur, cum omnibus pertinentiis suis, Monasterium S. Joannis in Plano Lucerin. Diocesis, S. Bartholomaei de Civitate, S. Mariae olim vocata Luceria, S. Spiritus de Magella, S. Georgii de Rocha Mauricii, S. Petri Vallisbonae, S. Petri de Monte Plano S. Spiritus, & Hospitalis cum Ecclesia S. Andreae de Bucelano, S. Mariae de Civitellis de Civitate Theatin. S. Spiritus de Ortona, S. Spiritus de Lanzano, S. Mariae inter Montes Theatin. Diocesis, S. Eusebii de Urbe, S. Mariae in Pinezano, Pennen. Diocesis, S. Salvatoris de Civitate Pennensi, S. Mariae de Collemadio juxta Aquilam, S. Cecidii de Caporciano, S. Spiritus de Iffernia, S. Mariae de Trivento, S. Mariae de Anglono Triventin. Diocesis, S. Spiritus juxta Venafrum, S. Spiritus Alifanensis, S. Antonii de Campania Ferentinatis Diocesis, Prioratus S. Antonii & S. Leonardi prope Sulculam Anagninae Diocesis, S. Joannis de Aqua sancta, S. Marci de Fucis, Mariscan. Diocesis, Sancti Nicolai de Civitate, S. Martini de Bologno, & S. Joannis de Rodio.

§. 5. Et quia inter alia quae salubrem & quietum statum vestrum sapiunt, de praecipuis casibus hoc esse necessarium arbitramur, ut de substitutione futuri Abbatis successoris tibi, filii Abbas S. Spiritus, quem Patrem Abbatem ceteris tuis Coabbatibus, Praelatis & Fratribus tibi subiectis, praesentibus & futuris perpetuo stabilimus, praecipue ordinamus, & distinctè praecipimus observari. Quod Pater Abbas singulis trienniis in Generali Capitulo sponte suam offerat & exhibeat cessionem, & idem Capitulum statim & absque temporis intervallo, ad Patris Abbatis substitutionem procedat, juxta formam in Regula traditam, & aut de Abbate cedente, (si eum talem putaverint) vel de alia persona Monasteriorum & locorum, per electionem Canonicam praedicto Monasterio Sancti Spiritus provideant de Abbate.

§. 6. qui quidem Abbas si fuerit in concordia electus, & nihil obtulerit de Canonicis institutis, nulla super hoc à Sede Apostolica confirmatione petita vel obtenta, eo ipso suae administrationis officium, seu jus administrandi in spiritualibus & temporalibus consequatur, & illud tanquam pater Abbas (prou ad eum pertinet) liberè exequatur.

§. 7. Ac idem Abbas, si alias non extiterit benedictus, benedictionis suae munus à quocumque maluerit Catholico Episcopo gratiam & communionem Apostolicae Sedis habente, recipere studeat, illudque sibi dictus Episcopus gratis impendat.

§. 8. Praeterea ut idem Pater Abbas non possit à rectitudine suae Regulae deviare, mandamus omni anno à tribus Prioribus sui Ordinis qui pro tempore fuerint, videlicet à Sancti Spiritus de Magella, Sanctae Mariae de Collemadio juxta Aquilam, & Sancti Spiritus de Iffernia Monasteriorum Prioribus visitetur.

§. 9. Sanè

Pracipi...

Licentia...

Nominat...

Abbas...

Abbas...

Munus...

Abbas...

§. 9. Sanè de fructibus terrarum ac possessionum ve-
strarum hæcenus acqvisitarum, quas propriis manibus
aut sumptibus colitis, sive de hortis vel de nutrimentis
animalium, nullus à vobis decimas exigere vel extor-
quere præsumat.

§. 10. Concedimus quoque etiam vobis, ne de iis, quæ
in ornamentis, vel pro eis, aut libris, fabrica, luminaribus,
anniversario, septimo, vigesimo, ac trigesimo, sive aliis
ad perpetuum cultum divinum, seu pro pitantibus, vel in-
dumentis & calceamentis vestris legantur pietatis intuitu,
dummodo id in fraudem non fiat, nulli teneamini jus-
titiam seu portionem canonicam exhibere.

§. 11. Concedimus etiam tibi fili Abbas Sancti Spiritus,
tuisque successoribus, qui pro tempore fuerint, ut à
Fratribus vestri Ordinis in ipso Monasterio Sancti Spiritus,
ac aliis Monasteriis, Prioratibus & Membris, ac locis
subiectis eidem Monasterio Sancti Spiritus constitutis,
absolutione ac dispensatione indigentibus, sive priusquam
intraverint Ordinem, sive post in calibus excesserint,
pro quibus excommunicationis vel interdicti, aut suspensionis
incurrunt sententias à canone promulgatas, & hujusmodi
sententiis innodati, aut in locis suppositis Ecclesiastico
interdicto divina officia celebrantes, vel suscipientes
ordines, sic ligati notam irregularitatis incurrun-
t, de consilio Fratrum vestrorum, qui literati sint, &
Deum timètes, absolutionis juxta formam Ecclesiæ, pro-
ut secundum Deum expedire videritis, valeatis benefi-
cium impertiri, nisi adeo gravis & enormis foret excessus,
quod essent propter hoc ad eandem Sedem meritò
destinandi, proviso ut læsis satisfaciatur competenter.

§. 12. Inhibemus etiam, ne aliquis Episcopus, vel quæ-
vis alia persona spirituales vel aliam jurisdictionem ha-
bens, vos ad Synodos vel Conventus forenses, aut ad
convocationes suas accedere, vel cum eis intra vel extra
Civitates vel Terras processionaliter exire, aut suis Co-
stitutionibus subjacere, seu Capitula, Scrutinia & Inqui-
sitiones in locis vestris vel alibi, de vobis vel vestro-
rum aliquo, aut fidelitatem juramento firmatam, & ma-
nualem obedientiam à vobis aut Prioribus & Superio-
ribus vestris exigere, seu etiam prohibere ne ad Civitates
seu Villas & ad loca quælibet, ubi religiosè & honestè
morari possitis, audeatis accedere, ibique pro vestris usi-
bus Edificia, Monasteria, Ecclesias seu Oratoria ex per-
missione & indulto nostro construere liberè valeatis, nec
in accedentes Fratres & Monachos vestros seu constru-
ctores hujusmodi, seu receptatores eorum, excommuni-
cationis vel interdicti sententias possint proferre.

§. 13. Prohibemus insuper, ne ulli Fratrum vestrorum
post factam in Monasterio vestro, vel in aliis locis vestris
ejusdem Ordinis Professionem, fas sit sine Abbatis sui
licentia Ordinem ipsum relinquere, & ad locum Reli-
gionis alterius, vel ad Ordinem alium se transferre, dis-
cedentes verò aliter nullus, cujuscumque Religionis vel
status existat, audeat retinere, quod si secus factum fue-
rit, tam discedens, quam is, seu illi, qui seipsum talem re-
ceperint, si requisiti eum à se non rejecerint infra men-
sem, ipso facto sententiam excommunicationis incur-
rant.

§. 14. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum
liceat Monasteria, Prioratus, Membra & loca prædicta tem-
erè perturbare, aut eorum possessiones auferre, vel
ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus
fatigare, sed ea omnia integrè conserventur eorum, pro
quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt,
ut libris omnimodis profutura, salva Sedis Apostolicæ au-
thoritate. Si quaigitur in futurum Ecclesiastica secularive
persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens con-
tra eam temerè venire tentaverit, secundo, tertiove com-
monita, nisi reatum suum congrua satisfactione corre-
xerit, potestatis, honorisque sui careat dignitate, teamque
se divino judicio existere de perpetrata iniquitate,
cognoscat, & à sacratissimo Corpore & sanguine Dei, &
Domini nostri Redemptoris JESU CHRISTI aliena fiat,
atque in extremo examine districtè subjaceat ultioni.

§. 15. Cunctis autem eisdem locis sua jura servantibus
sit pax Domini Nostri JESU CHRISTI, qua-
Bullar. Mag. Tom. I.

tenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, &
apud districtum Judicem præmia æternæ pacis inveniant.
Amen.

- Ego Benedictus Catholica Ecclesia Episcopus.
- Ego Joannes Tusculan. Episcopus.
- Ego Theodoricus Civitatis Populi Episcopus.
- Ego Leonardus Alban. Episcopus.
- Ego Petrus Sabin. Episcopus.
- Ego Frater Joannes Portuen. Episcopus.
- Ego Joannes tit. Sanctorum Marcellini & Petri Presbyter Cardinalis.
- Ego Frater Robertus tit. Sanctæ Pudenticæ Presbyter Cardinalis.
- Ego Frater Gentilis tituli Sancti Martini in montibus Presbyter Cardinalis.
- Ego Neapoleo Sancti Adriani Diaconus Cardinalis.
- Ego Londulfus Sancti Angeli Diaconus Cardinalis.
- Ego Guillelmus Sancti Nicolai in Carcere Tulliano Diaconus Cardinalis.
- Ego Franciscus S. Lucæ in Silice Diaconus Cardinalis.
- Ego Franciscus Sanctæ Mariæ in Cosmedin Diaconus Cardinalis.
- Ego Ricardus S. Eustachii Diaconus Cardinalis.
- Ego Lucas S. Mariæ in Via Lata Diaconus Cardinalis.

Papa subscri-
Cardinalium
subscriptorum

CLEMENS QUINTUS PONT. CXCVII.
ANNO DOMINI MCCCY.



Clemens V. Bertrandus antea dictus, Archiepiscopus
Burdegalensis, Gallus, Provincia Aquitania, in oppi-
do Agri Burdegalensis natus, Patre Bertrando, vel Ber-
aldo, de Familia Gothia. Creatus Perusii Nonis Julii, anno
1305. Coronatus Lugduni pridie Idus Novembr. eod-
dem anno. Sedit annos 4. menses 9. Creavit Cardinales
24. Obiit Avenione 12. Kalend. Maii 1314. Sepultus
est in ædícula B. Mariæ de Vesta. Vacavit Sedes annos 2.
menses 3. dies 18.

Indictio XV. Sacri Oecumenici Concilii Vien-
nensis primi, ad Kal. Octobr. 1309.

Ejusmodi ferè literas hic idem Pont. direxit aliis
Principibus, necnon Archiepiscopis, Episcopisque.